

coram vobis presentare noluerint, talium litteras inuigorasas et inualidas, nulliusque momenti fore, et existere presentibus decernimus et declaramus. Secus igitur non facturi. Datum Bude in vigilia festi Sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo.

(*Sigillum Regium anulare appressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 76.

CLX.

Anno 1498. In Dominica Invocavit. Budae.

Vladislaus Rex pro Regno Slavoniae, ut in eodem Regno tria solummodo loca credibilia habeantur, contra Constitutionem Diaetae Regni Hungariae, dispositionem facit.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod quamvis superioribus diebus per Vniuersitatem Regnicolarum nostrorum in Dieta nouissime in campo Rakos celebrata conclusum et per Maiestatem quoque nostram litteris etiam id concessum fuerit, vt Capitulum Ecclesie Boznensis testimonium suum vbique per totum Regnum nostrum Hungarie ad quascunque execuciones faciendas mittere possit. Tamen vt ex querelis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium tocius Regni nostri Sclauonie intelleximus, huiusmodi concessio nostra ipsis in eo potissimum officeret, quia in illo Regno nostro Sclauonie tria Capitula essent, que ad facta illius Regni et Regnicolarum nostrorum satis, et super sufficientes sunt. Nam propter multa loca credibilia varie falsitates in eo potissimum committerentur, quia aliquando persone ignote loco Nobilium ad fassionem destinarentur, et bona talium per fraudem faterentur, quod non fieret, si in aliquo duntaxat Capitulorum illius Regni nostri Sclauonie, et non in aliis remotis locis, tales fassiones fierent. Quapropter supplicatum exstitit Maiestati nostre in personis eorundem exponencium, vt ipsos ab huiusmodi contingentibus periculis eripere dignaremur. Nos igitur, qui inter alias curas et sollicitudines nostras ad ea potissimum intendere debemus, que statui et commodo fidelium nostrorum conducerent. Admissa igitur supplicatione prefatorum exponencium nolentes, vel Juribus vel antiquis consuetudinibus illius Regni nostri per huiusmodi concessionem nostram dero-